QVÆSTIO DE VISIONE BEATA,

Illustri & Adm. Rndo. Domino,

D. DANIELI, CASIMIRO KRVSIO,

Canonico Vratislauien. I. V. Doctori, S. Theologiæ Licentiato, proponenda ad disputandum.

Ab

Adm. Rndo. & Illustri Dno Promotore,

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO,

S, T. D. Vniuersit. Cracouien. Vice Cancellario, Præposito S. Floriani.

Pro solenni inauguratione in Doctorem S. Theologiæ.

Anno Domini, M. DC. XXXVIII 22. Martij, Hora 1. matut. in Lectorio DD. Theologorum.

CRACOVIÆ. Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij.

Reuerendiſsimo & Perilluſtri Domino,

D. IOANNI BALTHASARI LIESCH DE HORNAV,

Epiſcopo Nicopolienſi, Epiſcopatus Vratiſlauienſis Adminiſtratori, & Suffraganeo, Ambarumq́ue Baſilicarum Vratiſlauiæ Præpoſito, S. Cæſareæ Maieſtatis

CONSILIARIO,

Domino, & Confratri Obſeruandiſſimo,

S.

IN Academicam Theologiæ arenam iam rude olim donatus miles iterum euocor. Meminiſti enim, Reuereń. Dne. me in Sacrum Collegium Veſtrum receptum eá lege, vt in Antiqua & Nobili Vniuerſitate aliqua Theologiæ gradum capeſſerem. ſiue fructuum quandoque percipiendorum iucunditatem hac ipsâ moleſtiâ commendare voluiſtis; magis enim nobis ſapiunt, quæ carò ſteterunt: ſiue ſingularis fauor erga me, honoremq́ meum animos

Vestros eò impulit, vt tot Artium Philosophiæq́ ac Iurium gradibus ornatum an oneratum? honoratiorem adhuc esse iuberetis: siue vt Cathedram Vestram multis retrò seculis Doctorum in omni facultate feracissimam vsurpatis titulis non viduaretis: siue inter alia Statuta Laudabilesq́ Vestras Consuetudines, id quoque religiosè obseruetis, ne vllum absq́ difficultate recipiatis, Supremi Numinis in hoc æmuli, qui etiã cæli præmium non nisi magnis difficultatibus inuoluit. Quicquid tandem horum sit. Vestro ego pareo imperio, non meo obsecundo genio, qui vinum alias magis amare soleo quam hederam, maluiq́ semper Theologiæ intrare arcana, quàm capere insignia. Tibi porrò Reueren. Dne. quem tanquam inter Collegas primum, huius meæ Academicæ dignitatis nouæ primum quoq́ Authorem fuisse auguror, Conclusiones has, de more florentissimæ Vniuersitatis huius ordinatatas, dedico, & offero, atq́ in Te, tanquam in eum, qui me tot honoris grauare gradibus voluisti, hunc licet exiguum inde decurrentem riuum deriuo. Leges & Valebis.

Reuerendiss. & Perillustris D. T.

Seruus & Confr.

Daniel Casimirus Krusius, Philosoph: & I. V.D. Canonicus Vratislauiensis.

QVÆSTIO

DE

VISIONE BEATA.

V. Intellectus Beatorum eleuatus lumine gloriæ, videns Deum intuitiuè, videat omnia quæ ſunt in Deo æqualiter vel inæqualiter, propter lumen gloriæ, ita vt perfectio Intellectus naturalis nihil ad inæqualitatem Viſionis Beatificæ conferat, necne?

CONCLVSIO I.

Intellectus Beatorum ad videndam intuitiuè Eſſentiam Dei, ſupernaturali habitu luminis gloriæ eleuari debet.

COROLLARIA.

1. *Intellectus tam Angelicus quàm Humanus solis viribus naturalibus intuitiuè & quidditatiue Deum attingere nequit.*

2. *Visio Beata est supernaturalis omni intellectui creato, adeoq; Visionem Beatam esse possibilem, nulla ratione naturali ostendi potest, sed sola fide tenendum est.*

3. *Tametsi Visio Beata supernaturalis sit omni naturæ creatæ, tamen non repugnat dari Substantiam creatam, cui connaturalis sit visio Dei, neq; ideo talis Substantia necessariò esset impeccabilis, quamuis Substantiam aliquam rationalem impeccabilem admittere nullum videatur inconueniens.*

4. *Appetitus humanus naturaliter satiari potest absq; visione Dei, adeoq; non est in Homine appetitus innatus ad visionem Beatificam.*

5. *Lumen gloriæ, non est lumen increatum, nec Visio Beata, nec Species impressa, nec auxilium aliquod actuale, siue aliquis concursus per modum actus secundi, sed debet intelligi qualitas aliqua habitualis permanens per modum actus primi. cuius munus est complere intellectum ex parte potentiæ ad visionem Dei, sicut complent voluntatem ad actus supernaturales omnes habitus infusi.*

Conclusio II.

Essentia Dei ab Intellectu creato eleuato lumine gloriæ intuitiuè videri potest, & de facto à Beatis clarè & intuitiuè videtur.

COROLLARIA.

1. *Tametsi de facto per lumen gloriæ eleuetur Intellectus ad Visionem Dei, tamen potest is idem Intellectus creatus sine vllo principio in illo inhærente supernaturali, eleuari ad videndum Deum per concursum Diuinæ omnipotentiæ concurrentis cum Intellectu sine aliquo principio præuio.*
2. *Oculus corporeus, & alij sensus materiales, per nullam potentiam eleuari possunt ad cognoscendum Deum.*
3. *Intellectus lumine gloriæ eleuatus ad actum Visionis Beatificæ effectiuè & immediatè concurrit, idq; non vt causa necessaria sed liberè.*
4. *Superuacaneum est admittere de facto speciem impressam, per quam Beati videant Deum. De possibili autem nulla videtur repugnantia, quo minus Deus creare possit speciem aliquam impressam immediatè & entitatiuè suijpsius repræsentatiuam, qua beati in Visione Beatifica vtantur loco Diuinæ Essentiæ.*

Conclusio III.

Beati de facto videntes Diuinam Essentiam, vident quæ in Deo sunt.

COROLLARIA.

1. *Prædica-*

1. *Prædicata Diuina quæ non distinguuntur virtualiter omnia debent necessario videri, si vnum videatur.*

2. *Dari possunt, & de facto dantur præcisiones formales, id est, Visiones Dei inadæquatæ in se, licet adæquatæ respectu Obiecti quatenus totum Obiectum explicant sed non totaliter.*

3. *Inter Essentiam & relationes Intellectum & Voluntatem Dei de facto dantur præcisiones Obiectiuæ etiam in Beatis saltem quoad affirmationem.*

4. *De facto Beati clarè & distinctè vident Deum trinum & vnum, nec solum ex parte Obiecti correspondent de facto Beatis attributa, & perfectiones Diuinæ, sed etiam ita clarè illas cognoscunt, vt possint eas distinguere.*

5. *Res contingentes de nouo vident Beati in Deo, quas ab initio non viderunt, non per Visionem Beatam, sed vel per reuelationes actuales, vel per cognitiones infusas de nouo acquisitas.*

Conclusio IV.

Non omnes Beati æqualiter vident Deum sed vnus altero perfectius,

COROLLARIA.

1. *De facto non omnes Beati ita distinctè vident omnipotentiam & scientiam Dei vt possint eam explicare in ordine ad omnes terminos in particulari distinguendo illos inter se.*

3. Possunt

2. *Decreta libera Dei non omnia etiam ex parte obiecti attinguntur à Beatis.*

3. *Possunt creaturæ videri in Deo viso, similiter in eodem tanquam in medio cognosci & tametsi non possent in Deo creaturæ videri, adhuc tamen possent vnica & indiuisibili visione Deus & creaturæ videri.*

4. *Etiamsi Beati viderent in Deo omnes creaturas possibiles, non ideo sequi visionem illam fore infinitam.*

5. *Possunt in Deo videri omnes creaturæ possibiles, neq; tamen idcirco DEVS à creatura comprehenderetur.*

Conclusio V.

Inæqualitatem Visionis Beatificæ causari de facto à lumine gloriæ non ab Intellectu probabilius est ob solam DD. authoritatem.

COROLLARIA.

1. *Ergo Intellectus quamuis immediate & effectiuè attingat visionem Dei tamen non ideo visionem causabit perfectiorem quò ipse est perfectior.*

2. *Nulla est repugnantia dari aliquod lumen gloriæ quod sit indifferens ad videndas in Deo quascunq; creaturas.*

B 3. Neque

3. *Neque repugnat dari lumen gloriæ limitatum & coarctatum quod non possit nisi Petrum v. g. in Deo præsentare.*

4. *Inæqualitas inter visiones Dei est dogma fidei quæ pro meritorum diuersitate Beatis datur eaque vel intensiua est vel extensiua.*

In Decanatu secundo. M. Matthiæ Blosii Bruzinski S. Theologiæ Doctoris, S. Floriani & Sacræ Facultatis Theologicæ Decani, C.P.S.



Permissu Magnifici & Adm. Rndi. Domini,

D. ALBERTI BOROVII, S. Th. DOctoris & professoris, Custodis S. Floriani, Canonici Scarbimirień. Vniuersitatis Cracouiensis

GENERALIS RECTORIS.